



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXXVII. De Congregatione pro Typographia Vaticana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

rem, Camerae Commissarium, unum ex Clericis Camerae à Pontifice deputandum, & duos cives Romanos cum Secretario, cui Castella & Receptacula, illorumque claves custodiendi, & ne à quoquam plus aquae latiore fistula sumatur, quam concessum fuerit, animadvertendi cura & onus incumbit.

8. Semel singulis Mensibus, & quoties opus fuerit Deputati congregabuntur, & literae Patentes ac Mandata sub Thesaurarii Sigillo, & nomine expediuntur
Paulus V. cit. Const. 75.

CAPUT XXXVII.

De Congregatione pro Typographia Vaticana.

1. *Ad quid instituta haec Congregatio.*
2. *Uti poterit & debet adjumento Doctissimorum ex omni Natione.*
3. *Curabit ut libri sacri correctè imprimantur, sed Congregatio haec esse desit.*

I.

Postquam Sixtus V. erexisset in Urbe Typographiam Vaticanam, instituit quoque

quoque *Const. 74.* Immensa Congregationem Cardinalium, quæ pro rei & negotii gravitate eidem præesset imponendo illi, ut Sacra Biblia Latinæ vulgatæ, Græcæ & Hebraicæ editionis, decretales Epistolas, Concilia generalia, Sanctorum præcipuorum Ecclesiæ Doctorum opera, cæteros denique libros, quibus Fidei Catholicæ doctrina Traditionesque Ecclesiasticæ continentur & explicantur, quam emendatissimè secundum vetusta manuscripta & correctissimos codices, quorum copia asservatur in Bibliotheca Vaticana, curet imprimendos.

2. Ad hoc uti poterit adjumento, studio atque opera doctissimorum hominum ex omnibus Christiani Orbis nationibus & linguarum peritorum, qui libros imprimendos accurate diligenterque conferant & recognoscant. Si quæ vero graviores dubitationes, & difficultates in veterum Codicum auctoritate, librorum correctione & emendatione inciderint, rebus prius in Congregatione examinatis ad ipsum Pontificem referat, qui pro speciali privilegio sibi concessio, id quod Orthodoxæ Veritati maxime consonum erit, decernet.

3. Ad

3. Admonebit etiam hæc Congregatio Typographos & librorum correctioni Præfectos in omnibus Christiani Orbis Regnis & Provinciis, ut in hujusmodi librorum editione ad Vaticanæ impressionis præscriptum, ac normam omnino se conforment. *Sixtus V. cit. Const. 79.* Hanc vero Typographiam deinde Paulus V. Camerali Typographiæ univit, & Cameralis nuncupatur, atque ita Congregatio hæc sublata videtur.

CAPUT XXXVIII.

De Congregatione super Re Monetaria.

1. *Qui pertineant ad hanc Congregationem.*
2. *Quid in ea tractetur.*
3. *Tonsores Monetæ, eamque adulterantes quomodo puniendi.*

I.

AD hanc Congregationem pertinent quatuor Cardinales, & quidam ex Camera Prælati, quorum caput unus est ex dictis Purpuratis, in cujus ædibus, cum necesse est, conveniunt.

2. Tra-